

65. Avviso di Roma del 2 aprile 1569.

Si ragiona chel Papa voglia guastar il theatro di Belvedere come cosa di gentilità et fatto a posta per farvi spettacoli publici cosa poco conveniente a pontefici, et anco che vuol ridurre tutte le altre antiquità in servitio di religione et culto divino, acciò quelli verranno a Roma, habbino d'andare a veder le 7 chiese e non l'antiquità profana.

Orig. *Urb. 1041*, p. 51. Biblioteca Vaticana.

66. Papa Pio V a Carlo IX re di Francia.²

Roma, 19 novembre 1569.

Charissimo in Christo filio nostro Carolo Francorum Regi Christianissimo.

Pius Papa Quintus.

Charissime in Christo fili noster salutem et apostolicam benedictionem. Lecti litteris Maiestatis Tuae, quibus Carolum Guillart Carnutensem quondam episcopum, propter nefandum haeresis crimen ab episcopatu depositum nobis accuratissime commendat, praeterire non potuimus quin pro nostra paterna erga te benevolentia, nostrum ex tali commendatione susceptum animo dolorem Maiestati Tuae libere significaremus. Nos enim, si ulli ex christianis catholicisque regibus, quos aequae omnes, ut debemus, tanquam charissimos in Christo filios nostros diligimus, satisfactum cupimus, tibi certe, quantum cum Domino possumus, morem gerere commendationibusque tuis satisfacere maxime cupimus: veruntamen publicos haereticos a sancto inquisitionis haereticae pravitatis officio et a foelicis recordationis praedecessore nostro in sacro consistorio damnatos ac depositos nobis a te commendari, praeterquamquod commendanti tibi haud satis decorum est, nos id praeterea sine magna animi perturbatione pati non possumus. Ac Maiestatem Tuam nos quidem scimus tales nobis homines commendaturam non fuisse, nisi de illis bene existimaret bonosque et catholicos esse putaret: sed hoc tamen dolemus in ea re, quae officii cognitionisque nostrae propria est, te aliorum potius opinionibus moveri quam nostro praedecessorumque nostrorum iuditio acquiescere. Multis in isto regno Maiestas Tua Ugonotos reperiet, qui et missarum solemnibus intersint et multis aliis eiusmodi inditiis catholicorum speciem prae se ferant, quos tamen illis, qui haec ipsa palam aversantur, multo peiores nequioresque esse pro certo habemus. Illi enim suam qualencumque persuasionem, quamvis falsam, pertinaciter tenent; hi vero, quia neque Deum esse neque aeternam vitam credunt, omnia sibi licere arbitrantur, insipientes, corrupti, abominabiles, qui, dummodo commoditatibus suis obsequantur et quicquid volunt obtineant, nihil pensi habent utrum catholicorum an haereticorum instituta moresque sectentur. Quorum fictam pietatem

¹ Cfr. sopra, p. 78.

² Cfr. sopra, p. 340, 351.